

S. Lig. Homo apost. n. 57. — Lacroix, n. 1281, et alii communiter contra Busebaum. — V. Comp. de Legibus, n. 107, et in hoc opere, Cas. tom. 1, n. 100.

CASUS X.

ADIMPLETIO PŒNITENTIÆ 2°.

DIONYSIUS pro pœnitentia sacramentali rosarium B. V. flexis genibus recitare debet; sedendo autem recitat. Re cognita, Confessarius extraordinarius, quem occasione alicujus festi adiverat, jubet iterari recitationem, utpote invalide persolutam. — Alias, cum jejunare debuisset in vigilia Nativitatis B. V. in ipsius honorem, ad specialem gratiam die festo impetrandam, id agere hac die impeditus fuit, et obligationem exstinctam existimavit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An DIONYSIUS rosarium iterare debuerit?*
2° *An ad jejunium adhuc postea fuerit obligatus?*

SOLUTIO :

534. — *R. ad 1^m Quæs.* Solutio hujus quæstionis vix absolute dari potest, quia a variis circumstantiis et a voluntate Confessarii maxime pendet. Generatim hujusmodi circumstantiæ ut quid mere accidentale spectari debent. In præsentem autem casu, cum agatur de opere satis molesto; imo quod minus prudenter forte impositum esse ex obligatione censeatur viro, hujusmodi pœnitentiæ parum assueto: credibile non est circumstantiam illam sub gravi fuisse injunctam. In praxi, post factum, inducendus est pœnitens ad orandum identidem genibus flexis, ut pœnitentiam aliquatenus suppleat, nisi malit rem ordinario Confessario in proxima confessione subijcere. *V. Comp. n. 528, 534.*

535. — *R. ad 2^m Quæs. Affirm.* Ratio est, quia circumstantia temporis non fuit præfixa ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam determinandam. Confessarius enim minime intendit nullam imponere pœnitentiam, si die determinata jejunium omissum fuisset, vel fieri non potuisset.

CASUS

DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE

SEU

De necessitate jurisdictionis et approbationis; de defectu jurisdictionis incognito, seu de errore communi et titulo colorato; de jurisdictione dubia; de jurisdictione in casu mortis; de jurisdictione et approbatione Regularium et erga Moniales.

CASUS I.

APPROBATIO.

1° DAMIANUS, Sacerdos, Episcopi familiaris, commorans Paschali tempore apud FLORINUM, Parochum, se offert ut in audiendis confessionibus ei auxilium præstet, licet approbatione episcopali careat, pro certo habens fore ut hoc Episcopo non displiceat. Votis DAMIANI libenter annuit Parochus.

2° QUIRINUS, Sacerdos, extra diœcesim suam ad breve tempus versans, ab Episcopo loci approbatur ad audiendas virorum confessiones, occurrente magna quadam solemnitate. QUIRINUS exceptit etiam confessiones plurium mulierum, et unius viri parochiæ extranei. Existimavit enim se id posse facere absque difficultate, cum in propria diœcesi approbatione gaudeat generali, absque ulla restrictione neque temporis, neque personarum.

HINC :

- QUÆR. 1° *In quo approbatio et jurisdictio differant?*
2° *Quando, et a quo Episcopo requiratur approbatio?*
3° *An Episcopus Sacerdotem extraneum approbare possit?*
4° *An sufficiat approbatio tacita vel præsumpta?*
5° *An validæ fuerint absolutiones in singulis casibus?*

SOLUTIO :

536. — *R. ad 1^m Quæs.* Approbatio est præcipue judicium Episcopi, aut Superioris ecclesiastici, de idoneitate subditi ad audiendas confessiones. Jurisdictio vero est concessio potestatis excipiendi fidelium confessiones cum determinatione subditorum, circa quos hæc facultas exerceri potest. In præsentem Ecclesiæ praxi non amplius separatim una absque altera, relative ad sæculares Sacerdotes, conceditur.

537. — *R. ad 2^m Quæs.* Approbatio ab ipso Episcopo loci in quo audiuntur confessiones danda est; et sub pœna nullitatis semper requiritur, nisi adsit casus extremæ necessitatis, vel jurisdictio ordinaria erga pœni-

tentem habeatur. *Ex Bulla Innoc. XII*, an. 1700, etc. — *V. Comp. n. 540*, etc.

R. ad 3^m Quæ. *Affirm.* Constat ex praxi universali Ecclesiæ, et sententia communi Theologorum. *V. Comp. n. 544*.

R. ad 4^m Quæ. 1^o Non sufficit approbatio præsumpta, quia a *Conc. Trid.* requiritur approbatio *actu et absolute existens*, et *jam obtenta*. Ergo requiritur consensus actualis Episcopi, signis certo declaratus. 2^o Sufficit autem approbatio *tacita*, si certe ex circumstantiis colligatur: v. g. si Missionarius ab Episcopo advocetur ad Missionem in aliqua parochia agendam, eo ipso approbatus censetur ad confessiones illic excipientes. *V. Comp. n. 541-558*.

538. — *R. ad 5^m Quæ.* — *Ad 1^m casum.* DAMIANUS invalide absolvit, ob defectum approbationis, cum approbatio præsumpta non sufficiat, ut patet ex dictis. Graviter igitur erravit DAMIANUS (*Pontas. v. Approb., cas. 8*).

Ad 2^m casum. QUIRINUS invalide absolvit mulieres, cum pro solis viris approbatus fuerit. Nec obstat quod in propria diœcesi approbatione illimitata gaudeat, quia ex sola delegatione Episcopi loci absolvere potest. *Pontas, ibid. cas. 10*. Quid vero de absolutione viri extranei? Valet, quia QUIRINUS approbatus fuit ad *confessiones virorum simpliciter*. Ergo non fuit restricta approbatio ad solos parochiæ viros; extranei enim non solent ab aliis discerni. Secus enim QUIRINUS ab omnibus petere debuisset an de parochia fuissent, et dimittere eos qui negative respondissent, quod absurdum est. Nec obstat quidquid in contrarium dicat *Pontas, ibid.*, si vir extraneus ex alia diœcesi venerit; nam, ex praxi generali Ecclesiæ, extranei, quicumque sint, fiunt sufficienter subditi, ex eo quod Confessario in hoc loco approbato se subjiciant. *S. Lig. n. 569*. — *V. Comp. n. 554*.

CASUS II.

JURISDICTIONE ET LICENTIA.

1^o LEONARDUS, Sacerdos in diœcesi approbatus, multos absolvit pœnitentes, etiam tempore Paschali, invitis Parochis. Id etiam agere pergit, postquam Episcopus prohibuit ne fideles, tempore Paschali, cuipiam extra parochiam confiteantur absque Parochi licentia.

2^o CYPRIANUS excipit aliquando confessiones in aliis Ecclesiis sine licentia Parochorum, vel in Sacellis monasteriorum, non obtenta facultate eorum qui illis præsunt. Aliquando in parochiam vicinam advocatus, confessionem ægroti cujusdam excipiendi causa, petita quidem, sed non obtenta Parochi licentia, nihilominus tendit ad domum decumbentis, et, invito Parocho, eum audit et absolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quomodo jurisdictio et licentia inter se differant?*

2^o *An LEONARDUS valide absolverit invito Parocho? An invito diœcesis Episcopo?*

QUÆR. 3^o *An CYPRIANUS invalide vel illicite egerit, audiendo confessiones in aliis Ecclesiis absque licentia, et an pro confessione ægroti extra Ecclesiam licentia Parochi indigerit*

SOLUTIO :

539. — *R. ad 1^m Quæ.* Jurisdictio requiritur ad validitatem absolutionis et proinde afficit ipsam rei substantiam. Licentia vero est tantum facultas ad rectum ordinem requisita, ex parte illius cujus interest; ideoque non reddit actum invalidum, sed tantum illicitum. Est igitur quid mere accidentale in ordine ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem. Sic v. g. non potest licite Confessarius excipere confessiones in Ecclesia parochiali absque Parochi licentia; si id tamen faciat, valide absolvit.

540. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o LEONARDUS *valide* absolvit, invito Parocho, etiam tempore Paschali; quia, ex interpretatione communi, *proprius Sacerdos, cui fideles semel in anno confiteri debent*, intelligitur quilibet Sacerdos approbatus. 2^o Non posset *valide* absolvere tempore Paschali, si Episcopus statueret ut soli Parocho parochiani confiteantur; quia Episcopus valide jurisdictionem restringere potest. *V. Comp. n. 553 et seq.*

541. — *R. ad 3^m Quæ.* CYPRIANUS, utpote ab Episcopo approbatus, *valide* absolvit, etiamsi, invito Ecclesiæ aut Sacelli Superiore, confessiones excipiat, ut supra dictum est. Illicite autem agit quoties, absque licentia eorum quorum interest, in Ecclesiis aut Sacellis Sacramentum Pœnitentiæ administrat. Minime tamen peccavit, confessionem ægroti in propria domo decumbentis excipiendo absque Parochi licentia; quia domicilia privata ejus jurisdictioni minime subjacent. Prudentia tamen admodum suadet ut in hoc casu caute agat, et curet in quantum fieri potest, ne Parochum habeat offensum, propter incommoda quæ inde sequi possunt, præsertim si agatur de ægroti periculose decumbente cui a proprio Parocho ultima Sacramenta erunt subinde administranda.

CASUS III.

CANDIDATUS MINUS HABENS.

CANDIDUS, neo-Sacerdos, vocatus fuit ad examen doctrinæ subeundum pro audiendis confessionibus. Peracto examine, vota singulorum examinatorum scripta et signata traduntur Vicario generali qui, absente Episcopo, Concilii ecclesiastici præses et director erat. Is vero, non dubitans de Sacerdotis idoneitate, statim illum misit velut alicujus Parochi cooperatorem, ut, instante proxima festivitate, confessiones exciperet. Verum, reseratis postea examinatorum votis in proxima Concilii sessione, CANDIDUS inventus est *minus habens*, seu ab examinatore reprobatus. Quomobrem illico revocatus, usquedum in doctrina morali magis proficeret, a munere confessiones audiendi suspensus fuit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An CANDIDUS valide pœnitentes absolverit?*
 2° *Quid, si ipse suum doctrinæ defectum noverit, vel etiam se in examine defecisse probe sciverit?*
 3° *Quid, si post suspensionem adhuc plures absolverit?*
 4° *An fideles, detecto errore, teneantur confessiones CANDIDO factas apud alium repetere?*

SOLUTIO :

542. — *R. ad 1^m Quæs.* CANDIDUS *valide* absolvit antequam ab audiendis confessionibus prohiberetur. Ratio est : 1° quia fuit simpliciter a Superiore approbatus, licet hic ex errore approbaverit; 2° quia, ubi intervenit *error communis* cum *titulo colorato*, Ecclesia certo defectum approbationis supplet, ut dicunt communiter Theologi; atqui in nostro casu intervenit talis *error communis* cum *titulo colorato*, scilicet cum titulo jurisdictionis a Superiore collatæ. Ergo, etc.

543. — *R. ad 2^m Quæs.* In hac hypothesi peccasset quidem ille graviter, suscipiendo tantum munus, licet se incapacem cognovisset; attamen validæ semper fuissent confessiones, quia approbatio Superioris, et error communis fidelium cum titulo colorato, eodem modo subsisterent.

R. ad 3^m Quæs. Etiam in hoc casu CANDIDUS *valide* absolvisset, si suspensio populo non innotuisset; quia adhuc error communis perseverasset, licet titulus coloratus defecisset : error enim *communis*, etiam *sine titulo colorato*, probabilius efficit ut Ecclesia, pia mater, supplere velit, ne multi pereant. *S. Lig. n. 572.*

544. — *R. ad 4^m Quæs. Neg. prorsus.* Ratio est, quia ex dictis confessionibus illæ validæ fuerunt, ex eo quod Ecclesia jurisdictionem suppleverit, *stante errore communi*. Confessiones autem semel validæ, nunquam necessario repetendæ sunt. Etenim circumstantia erroris postea detecti, efficere nequit ut invalidum fiat id quod prius validum fuit. Ergo, etc... *Elbel, n. 320. — S. Lig. n. 572. — V. Comp. n. 548 et seq.*

CASUS IV.

SACERDOS JURISDICTIONE DESTITUTUS 1°.

SABELLUS, Sacerdos, magna pœnitentium caterva circumdatus, per aliquod tempus, expleto approbationis termino, primo quidem ignorantia invincibili laborando, deinde etiam mala fide, confessiones excipere perrexit. Ab Episcopo autem propterea a confessionibus suspensus, nonnullas mulierculas suspensionis ignaras nihilominus absolvit. Deinde, fuga arrepta, simulatisque ab Episcopo litteris, in alio loco consistit, ad quem fama suspensionis nondum pervenerat, et ibi ad audiendas confessiones in magna quadam solemnitate a Parocho admittitur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An valide absolverit SABELLUS, sive bona, sive mala fide, ante suspensionem?*
 2° *An valide absolverit mulierculas post suspensionem, et fideles post fugam?*

SOLUTIO :

545. — *R. ad 1^m Quæs. Affirm.* Ratio est, quia adfuit error communis, ex quo fit ut Ecclesia *probabilius* suppleat, etiam deficiente titulo colorato. Nec obstat quod postea SABELLUS fuerit in mala fide, quia hæc mala fides errorem communem non destruxit. *Recole dicta supra in casu præcedente. V. S. Lig. n. 572.*

546. — *R. ad 2^m Quæs.* SABELLUS *invalide* absolvit illas paucas mulierculas quæ ejus suspensionem ignorarunt, quia tunc error *privatus* tantum fuit: Ecclesia autem, juxta sententiam communem Theologorum, in errore privato jurisdictionem non supplet; quia Ecclesia, ut provisor generalis, non censetur supplere nisi ratione boni communis. Post fugam autem SABELLUS *valide* absolvit, saltem probabiliter, quia adfuit error communis in loco in quem sese recepit. *V. Comp. n. 547 et 548.*

CASUS V.

SACERDOS JURISDICTIONE DESTITUTUS 2°.

1° PALUMBIUS, junior Vicarius, pridie maximæ solemnitatis, recordatur elapsum esse annum ab obtenta episcopali approbatione, seque omni jurisdictione carere ad confessiones excipiendas. Undique angustiis premitur. Quid faciet misellus? Propter temporis angustias, ad Episcopum recurrere nequit; attamen, in tanto pœnitentium concursu, ab audiendis confessionibus abstinere non audet. Re secum diu perpensa, pro more in sacro tribunali sedet, absolvitque quoscumque rite dispositos reperit.

2° LOELIUS, Vicarius, advertit Sabbato Sancto effluxisse tempus pro quo fuerat approbatus. Nuntium igitur mittit ad Vicarium generalem, cui notissimus et familiaris erat, prorogationem approbationis postulandi causa : persuasum vero habens gratiam postulatam certo sibi concedendam esse, ut reipsa concessa fuit, excipit confessiones pluribus horis ante nuntii reditum.

HINC :

- QUÆR. 1° *An PALUMBIUS valide et licite egerit?*
 2° *An pariter LOELIUS?*

SOLUTIO :

547. — *R. ad 1^m Quæs.* PALUMBIUS male fecit, et graviter peccavit. Attamen confessiones illæ, propter communem errorem, validæ fuerunt, ut ex dictis in casibus præcedentibus sequitur.

548. — *R. ad 2^m Quæ.* LŒLIUS *valide* quidem absolvit, licet jurisdictione destitutus, stante errore communi, juxta superius dicta; sed graviter peccavit audiendo confessiones absque debita facultate, et cogendo Ecclesiam ad supplendum, quia non licet absolvere ex jurisdictione tantum præsumpta. Insuper fieri poterat ut Superior ex aliqua causa ignota, postulatam facultatem esset denegaturus; vel ut esset absens, etc. Dicit Pontas, v. Approb., cas. 9, tum iterandas esse absolutiones sine jurisdictione impertitas, saltem ad tutius. Sed de validitate talium absolutionum minime dubitandum est, nec proinde iterandæ sunt. Imo, neque iterandæ viderentur, etiãsi invalidæ essent, ob scandalum et magnam animarum perturbationem, quæ ex hoc sequeretur; sed inducendi forent fideles omnes ad denuo confitendum quam proxime ex aliquo prætextu, v. g. occasione alicujus magnæ solemnitatis, ut sic remissionem peccatorum indirecte obtinerent.

CASUS VI.

JURISDICTIO DUBIA.

CASIMIRUS, Confessarius, dum alacriter ad excipiendas confessiones incumbit, dubitare cœpit an tempus jurisdictionis sibi concessæ jam expiraverit, necne. Dubium autem resolvere non potest, quia litteras episcopales amisit. Nihilominus indubius pergit confessiones audire et absolvere, hoc innixus principio: *In jurisdictione dubia, vel probabili, certo supplet Ecclesia.* Subinde vero, scrupulo motus, statuit a confessionibus abstinere, donec facultatis renovationem obtinuerit. Interea tamen, enixe rogatus, plures adhuc pœnitentes absolvit, scilicet Parochum die festo celebraturum et anxietate agitatum; mulierem partu difficili laborantem, et a Parocho abhorrentem; virum cujus confessionem jam inceperat, et qui diutius in statu peccati mortalis, absque maxima molestia, perseverare non poterat, et alios similes.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An liceat absolvere cum jurisdictione dubia vel probabili, extra mortis periculum?*
 2^o *Quid de ratione agendi CASIMIRI? An licite egerit, saltem urgente gravi causa, ut in casibus præcedentibus*
 3^o *Quid, si quis dubitet an locus in quo versatur sit extra limites suæ jurisdictionis, necne?*

SOLUTIO :

549. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Non licet absolvere cum jurisdictione proprie, id est practice vel negative, dubia, *excepto casu necessitatis*; quia Ecclesia, sapiens mater, non censetur tunc jurisdictionem supplere.

2^o Licet vero, juxta communem sententiam, absolvere cum jurisdictione probabili. Ratio est, quia Ecclesia censetur tunc supplere jurisdictionem, si forte non habeatur; etenim videt et scit passim absolutionem

impertiri a Confessariis cum jurisdictione tantum probabili. Sunt qui ad id requirunt, causam rationabilem, uti S. Alphonsus, l. 6, n. 573. Alii tamen cum Suarezio, de Pœnit. D. 26, sect., 6, n. 6, minime hoc exigunt. V. Comp. n. 549.

550. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o CASIMIRUS male fecit *in primo casu* absolvendo cum jurisdictione dubia, cum nulla urgeret necessitas, seu gravis causa. Non enim verum est Ecclesiam certo supplere in jurisdictione dubia, seclusa causa gravi, siquidem hoc communius a Theologis negatur. Attamen valide absolvit, quia in tali casu Ecclesia jurisdictionem, saltem ob errorem communem, supplet. Licite etiam absolvere potuit, si, efformata conscientia, probabiliter putavit se jurisdictione non destitui.

2^o Valide autem et licite egit absolvendo *in casibus posterioribus*, quia causa gravis absolvendi urgebat, et proinde merito Ecclesia censebatur supplere jurisdictionem. Sic docet S. Ligorius, *ibid.*

551. — *R. ad 3^m Quæ.* Si quis dubitet an locus in quo hic et nunc versatur sit extra limites jurisdictionis suæ, inquirere debet, si possit; si non possit, absteat a confessionibus excipiendis, nisi causa gravi ad id inducatur, juxta ea quæ antecederent dicta sunt.

CASUS VII.

CONFESSARIUS PEREGRINUS.

1^o ANTONINUS, Parochus, solet semel in anno, comitante HYDULPHO, Vicario suo, tendere cum parochianis non paucis in piam peregrinationem extra diœcesis fines. Cum ad pium Sanctuarium pervenissent, tum ipse, tum adjutor audiendis suorum confessionibus alacriter vacant. Nonnullos alios peregrinos, ad eorum tribunal accedentes, etiam excipiunt et absolvunt.

2^o CARPOPHORUS, animarum Pastor, in diœcesis confinibus degens, solet in majori quadam festivitate Parochos vicinos, advocare ad confessiones in sua parochia excipiendas; quibus et ipse quam libentissime vicissim idem quoque præstat officium.

3^o BENITIUS, Sacerdos regularis, in collegio quodam Moderator, vacationum tempore aliquando alumnorum turmam in dissitas regiones, recreationis causa, perducit, eorumque confessiones, licet extra diœcesim, excipit ex sola licentia Episcopi cui subest collegium.

HINC :

- QUÆR. 1^o *An ANTONIUS, Parochus, valide absolverit suos parochianos extra parochiam, vel etiam extra diœcesim? An ejus Vicarius suos pœnitentes? An uterque alios externos?*
 2^o *An CARPOPHORUS potuerit advocare alios Parochos, etiam diœcesi extraneos, ad confessiones in sua Ecclesia excipiendas?*
 3^o *An BENITIUS valide absolverit alumnos suos extra diœcesim, ex sola Episcopi sui delegatione?*

SOLUTIO :

552. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o ANTONINUS, Parochus, valide absolvit suos parochianos extra parochiam et etiam extra diœcesim absque Episcopi loci delegatione; quia Parochus gaudet jurisdictione ordinaria et proinde personali in proprios subditos, eosque in omni loco absolvere potest.

2^o HYDULPHUS, Vicarius, absolvere non potuit suos pœnitentes, utpote approbatione debita vel jurisdictione personali destitutus. Jurisdictio enim Vicarii est tantum delegata, et proinde mere localis. Attamen, *stante errore communi*, reapse non invalide absolvit.

3^o Neuter, neque Parochus neque Vicarius peregrinos extraneos absolvere potuerunt licite *per se*, ob dictam rationem, nimirum ob deficientem Episcopi loci approbationem. Attamen, *stante errore communi*, uterque valide absolvit.

553. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o *Neg. probabilius* quoad Parochos diœcesi extraneos, nisi specialem facultatem Episcopi sui habeant ad illos pro confessionibus suorum Parochianorum delegandos, vel nisi in iis locis vigeat talis consuetudo. *S. Lig. n. 544.*

2^o Quoad Parochos ejusdem diœcesis *Affirm.*, quia ex consuetudine fere universali Parochus confessiones in universa diœcesi audire potest, nisi Episcopus aliter decernat. Consule tamen proprias locorum consuetudines.

554. *R. ad 3^m Quæ. Controvertitur. Probabilius affirm.* Ratio est : 1^o quia, cum alumni seu convictores habeant actu omnimodam dependentiam a Regularibus, jam eorum familiares sunt. *Pichler, Pellizzarius, Schmalzgrueber*; 2^o quia pluribus Ordinibus Regularibus, quales sunt *Benedictini, Theatini, Congregatio de Somascha, Clerici ministri infirmorum*, etc., imo et nonnullis sæcularibus Congregationibus, uti *Sancti Sulpitii, Sancti Spiritus*, etc., privilegium competit familiaritatis pro ipsorum convictoribus. Atqui ex communicatione privilegiorum cæteri Ordines Regulares jam tale privilegium consequuntur. Ergo, etc.

Hæc autem sententia plures Romanos Theologos, et quidem gravissimos, habet patronos.

Objiciunt adversarii aliquam Decisionem *S. Cong. in Parmensi*. Sed respondetur illam fuisse datam pro casu specialissimo, quæ proinde ad alios casus minime extendenda est. *V. Comp. n. 564.*

Ergo BENITIUS valide alumnos absolvisse censetur ex privilegio Regularibus concessio.

CASUS VIII.

ABSOLUTIO MORIBUNDI 1^o.

NABORIUS, subito morbo correptus, jamque ad extrema deductus, Sacerdotem requirit. Cum transiret MARIUS Capellanus, omni jurisdictione destitutus, advocatur. Exordio confessionis vix præmisso, ecce adstat LUCAS Vicarius qui, MARIO recedente, confessionem ægroti excipit.

Sed mox peccatum reservatum inaudiens, nec facultate a reservatis absolventi gaudens, non mediocriter intricatur; cum, sparso rumore morbi NABORII, et ipse advolat URBANUS Parochus. Eo comparente, Deo gratias agit Vicarius, et ægotantem rogat ut Pastori, suo amantissimo Patri, confiteri velit. Annuit ille; sed cum aperuisset æger casum, cui annexa erat excommunicatio Episcopo reservata, jam nescit Parochus quid sit faciendum. Ecce interea advenit Vicarius generalis, NABORII familiarissimus, cui vice sua Pastor libenter locum cessisset, si id facere fuisset ausus, vel si pœnitens id gratum habuisset; sed timens ægroti offensionem, eum integre audivit et absolvit. Postea autem NABORIUS convaluit, et in perfectam sanitatem restitutus est.

HINC :

QUÆR. 1^o *An Sacerdos non approbatus, in casu mortis confessionem audire possit? An coram approbato?*

2^o *An Confessarius simplex, in casu mortis, a reservatis absolvere valeat? An a censuris, et quomodo?*

3^o *An recte egerint varii Confessarii in præsentis casu, vel quid ipsis fuisset agendum?*

4^o *An NABORIUS, recuperata sanitate, confessionem iterare debuerit?*

SOLUTIO :

555. — *R. ad 1^m Quæ.* Sacerdos approbatione carens potest absolvere in casu necessitatis, seu in articulo aut periculo mortis, ex facultate generali ab Ecclesia concessa, ne quis defectu potestatis in Sacerdote pereat. At, juxta multos, absolvere nequit, præsentis alio Sacerdote approbato; quia in eo casu nulla urget necessitas. Attamen, si confessio moribundi a simplici Sacerdote incepta fuerit, perfici potest. *S. Lig. n. 563.* Verum, juxta alios, simplex Sacerdos potest etiam moribundum absolvere coram Confessario approbato, quia, in eo casu, jurisdictio simpliciter absque ulla restrictione ei ab Ecclesia tribuitur. Hæc sententia probabilis est. *V. Comp. n. 557 et 579.*

556. — *R. ad 2^m Quæ.* Confessarius simplex a casibus reservatis absolvere potest in mortis periculo, quia Ecclesia, benigna mater, voluit ut in morte nulla esset reservatio. Sed absolvere nequit a censuris, nisi *indirecte*, seu ita ut, si æger convalescat, teneatur adire alium Confessarium facultate absolventi a censuris gaudentem. *V. Comp. n. 579.*

557. — *R. ad 3^m Quæ.* 1^o MARIUS, primus Confessarius, male fecit, locum suum alteri cedendo; licet enim simplex Sacerdos esset, confessionem inceptam prosequi debuisset, ut patet ex dictis; ideoque in casu valide absolvere poterat.

2^o LUCAS, Vicarius, male fecit et ipse Parochus locum cedendo. Non debuisset enim a confessione perficienda cohiberi ob peccatum reservatum, cum in morte nulla sit reservatio.

3^o Quid vero de URBANO Parochus? Primum male fecit confessionem ab alio inceptam peragendo; sed postea bene fecit, miserum ægotum ad